ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,
DNO ERNESTO, PRINCIPI
SCHAVMBURGICO.
SAL. HVMILIMAM.

Quoties præsentia sæcula intueor, Domine Clementissime, non possum non ingemiscere, & miseram deplorare Musarum fortunam, quæ Honori quondam desponsatæ, Felicitati exornabantur, nunc lacera ac nudæ ambulantes, vix reperiunt quo suum tueantur pudorem. Non aliam hujus calamitatis causſam arbitror, quàm quòd tam rara est eorum seges qui viris doctis patrocinantur. Itaq́ multa præclara ingenia ad maxima quoq́ nata, suapte vi tollerentur in altum, nisi penuriâ Mecœnatum deprimerentur, et vanâ eludendi desperatione. Hæc cogitatio, etiam cordatum hominem abjicere cogeret animum ad sublimia tendendi: facileq́ persuaderet cuivis, satius esse in obscuro latere, & cineribus conditam ingenij faculam suffocare: cùm ea sese ostendere & evolare nesciat, nisi auxiliatore flatu animetur. Ego verò hisce minimè permotus, quantum in me fuit, non solum excolui litteras, sed eas etiam promovere sategi: ac veluti exiguam ac calcatam herbulam interdum non nihil salere medicata virtutis faciebam, ita à parva & ignobili manu aliquid subsidij capere posse Musas, sperabam, Græcas imprimis, non negligi tantum, sed penè ignorari ceptas. Itaq́ ut cujates essent sese cognoscerent, patriam pristinam, ruinis pridem sepultam, asserui, pro aris ac focis viriliter pugnavi, & lacera ac jam putrida

membra in vnam restitui corpus. Quantum mihi erratum sit inde laboris, ipsæ testantur adsestrices meæ, quæ diurno opere fessum solabantur, nocturnaq́ pervigilia mecum ducebant creberrima, non tamen vt pellices, sed vt carę sororcula. Dum verò huic meo operi patronum quæro, iam iterum in lacrumas ibant Musæ nostræ, secundam patriæ suæ ruinam metuentes. Videbar enim hac ætate coturnicem nigram quærere, cùm vix sit qui reperierit fuscam, adeò non vilent tantum hæ Diræ Virgines, sed passim prostituantur pro meretricibus. Cæterùm quod medijs contingit, vt longinquis in regionibus pharmaca quærant, quæ domi ipsis nascuntur; idem et mihi vsu venit, vt inter exteras gentes requirquam quæsiverim cui labores meos probarem, & cui tantum esset eruditionis, vt rite iudicare de re presente posset. Vix enim ex Parisiensi in patriam Academiam evocatus, reducem me sistere cepi genitrici meæ Germaniæ, cùm Celsit^e T. radij, etiam ad longè dissitum populum vibrati, clariùs ne quàm ante ferire cęperunt. Ex eo iam tempore fœtum hunc meum, inter Græcos natum, inter Italos adultum, in Galliâ preciosiùs aliquantò vestitum, Tibi Princeps Celsissime, consecravi, vtpote cujus illustre genus Virtus illustrat, Virtutem insolita in tantâ dignitate & splendore Eruditio, & in eruditos favor ac munificentia commendant, qui rarissimâ liberalitate exulantibus Musis novas parare sedes, earq́ Honori (á quo invitæ iampridem divortium fecere) ac Prospero fortunæ rursum conjungere instituistis: ad quod novum literarum Sacrarium, tanquam ad recens aliquod ortum

sidus, doctorum oculi & mentes convertuntur, & de redivivâ felicitate Musis gratulantur. Ad T. igitur Celsit^d^ venit, à seipsâ exsul Græcia, ad Te venit æterna nocti immergenda, nisi à splendore Tuo illustretur. Suscipe igitur illam, cum alumnis suis Musis, hospitio, & me cultorem illarum eo favore prosequere, quo nemo à te abiit inhonoratus, vt immensi mei laboris, multarum vigiliarum fructum, gratiam Tuam & favorem consequutus, sub Tuæ clementiæ umbrâ in eius immortalitatem, humilis Laurus succrescam. Bene ac feliciter vale, Herr clarissime, & Musas Tuo patrocinio tueri perge. Dabam Rostochij VI KAL. Febr. An. CIↃ DC XX.

Illustriss^me^ T. Celsitud^ni^ devotissimus

Joannes Laurembergius Med. D.
in Acad. Rostochiensi Poëseos Prof.

Illustrissimo ac Celsissimo
Principi ac Domino, Dño
ERNESTO, Principi
Schaumburgico, &c. Do-
mino meo clementissimo.